

† R. P. Augustus Gul. Frid. Beukers.

Die 23 septembris superioris anni 1921 in domo nostra Amstelodamensi post brevem infirmitatem praeter exspectationem mortuus est R. P. Beukers, olim provinciae nostrae Hollandicae superior et in novissimo capitulo generali eiusdem vocalis alter, vir moribus vere eximius, ingenii dotibus de provincia sua optime meritus, de cuius vita et actione plurimum boni adhuc sperabamus.

Natus est die 2 maii a. 1861 in Schiedam, quae est civitas in regno Neerlandiae, dioec. Harlemensis, S. Lidwinae nomine clara, e familia, quae undecim liberis benedicta erat; e quibus Augustum nobis, fratrem eius Everardum Societati Iesu concessit, qui eodem tempore, quo Augustus apud nos, Societatis suae Provincialis erat. Pater advocatus fuit, artem tamen tum magis lucrativam fermentandi liquorem alcoholicum, qui ab oppido « Schiedammer » dicitur, exercebat; mater Christina Herckenrath filia erat medici Amstelodamensis, uterque pietate fulgens.

Augustus noster puer erat ingenio facili, quo optimo semper successu studia tum inferiora tum superiora peregit. Sed et moribus similiter praestitit. Testimonio matris suae, quae octogenaria iuventutis filii optime recordatur, a tenerrima aetate infans erat vere exemplaris, parentum solatium et gloria.

Vocationis sacerdotalis vestigia in tenerrima aetate in Augusto ostendebantur. Maxime itaque gavisus est, cum a. 1878 in seminarium minus Hageveldense admissus esset et a. 1880 in maius seminarium Harlemense transire posset. Sensim etiam perfectioris vitae desiderium exortum est, sed anceps haerebat inter tres familias religiosas, Ordinem sc. S. Benedicti, Societatem Iesu, Congregationemque nostram. Huic dubitationi tandem gratia divina finem fecit. Cum enim ad conservationem novi episcopi Harlemensis G. Bottemanne multi sacerdotes saeculares et regulares in seminarium convenissent et ante caerimoniam magnus cum confabulatione tumultus esset, pius seminarista in sacello magna cum devotione orantem invenit P. Petrum Oomen, provinciae nostrae tum superiorem. Sub finem vitae Augustus testatus est se hac re ad P. Oomen atque ad Congregationem allectum esse et implorato B. Virginis auxilio iam petisse, ut in eam admitteretur, quod obtinuit. Itaque die 15 augusti a. 1884 titulo patrimonii sacerdos ordinatus die 7 septembris eiusdem anni novitiatum ingressus est Buscoduci ab episcopo suo rite dimissus et a seminarii praeside apprime commendatus. Novitiatu vero cum zelo maximo finito die 29 septembris a. 1885 gaudens votis se obstrinxit superioribus de eo bonae frugis spem foventibus, qua non sunt decepti.

Cum sex menses ex praescripto regulae ad addiscenda penitus S. Alphonsi principia moralia in studentatu Wittemiensi insumpsisset, P. Beu-

kers ibidem praefecti studentium R. P. Van Rossum (qui nunc S. R. E. Cardinalis est) socius factus est, sed anno sequenti 1886 in iuvenatu rhetoricam docendi munus obtinuit, quo cum item per annum functus esset, Amstelodamum missus in ministerium apostolicum, ibi simul R. P. Oomen operam suam praestitit in redigendis provinciae chronicis. Sed ne ibi quidem diu manere licuit. Anno enim sequenti 1888 a Rm̃o nostro Vicario Apostolico Surinamensi Henr. Schaap in Missionem suam Surinamensem revertente a superioribus expetitus cum eo missus est, ut ibi novitiorum magistri munere fungeretur. Post duos vero annos in Europam revocatus Buscoduci constitutus est magister novitiorum totius provinciae Hollandicae. Novitiatus chronica ex eo tempore plena sunt parvis adiunctis, quae maximum magistri in novitiatum affectum demonstrant sollicitudinemque, qua tirones novos spiritu Congregationis imbueret, ad regularum etiam minimarum observantiam devotionesque Congregationis proprias induceret. Interea ipse tantum in scientia sanctorum profecit, ut « ascetismi in provincia signifer » merito appellaretur.

In magistri munere expleto septennio ad altiora vocatus est munia. Ac primo quidem a. 1898 Rector Buscoducensis dictus, post triennium iterum in Americam missus est, ut Collegii in Juiz-de-Fora in ditione Brasiliana gubernationem susciperet ac simul Missioni Brasilianae praeesset, cuius deinde in Vice-Provinciam evectae primus Visitor dictus est; in quo munere usque ad a. 1912 permansit. Hoc tempore eius potissimum opera duobus collegiis nova duo accesserunt, Patrum vero numerus, qui a. 1901 fuerant 14, in 36 crevit. Pro operariorum numero labores quoque augeri potuerunt. Missiones a. 1901 habitae erant 34, S. Communiones distributae 25.000, anno autem 1912 missiones fuerunt 81, Communiones vero 163.000. Interea « ascetismi signifer » internum S. Alphonsi spiritum in Vice-Provincia sollers curavit, ita ut Rm̃i P. Generalis Raus laudes summas promeretur. Et quamquam linguam lusitanam perfecte numquam didicit, tamen tantam sibi paravit aestimationem, ut Archiepiscopus Mariannensis, cum synodum dioecesanam celebraturus esset, in commissionem praeparatoriam eum legere vellet. Et ex epistolarum commercio cum Provinciali videre licet munus etiam episcopale ei oblatum fuisse, quod tamen declinare potuit.

Ita cum et provinciam ipsam Hollandicam et utramque eius Vice-Provinciam, Surinamensem et Brasilianam praesens cognovisset, aptissimus erat, cui totius provinciae gubernacula traderentur, quod factum est a. 1912. Novus Provincialis ab omnibus summo plausu exceptus est. Erant tum quaestiones, quae cum disciplina regulari coniunctae diu pendebant, atque ab eo felicem simul et aequam solutionem acceperunt. Gubernii eius tessera non erat, ut nova opera moliretur, sed ut omnia bene perpenderet, in cunctas negotiorum circumstantias se insinuaret atque lente et

prudenter oratione magis fretus quam perspicacia et iudicio proprio res decerneret. Exemplum sunt litterae eius circulares, quas de missionibus ad nostrum tempus accommodandis, et quas de renovationibus edidit. Praemiserat elenchum questionum, quae in academiis missionum discuterentur, atque e singulis domibus responsis acceptis conventum missionariorum Amstelodamum convocavit. Tum demum rebus iterum pertractatis monita practica promulgavit. Idem fere de renovationibus fecit. Anno 1914 in Missione Surinamensi visitationem extraordinariam instituit, ab omnibus laetissime exceptus.

Inter facta eius provincialia recensere praesertim decet statuta definitiva, quae domibus recessuum dedit, « curarum, consultationum, orationum plurimarum fructum », ut ipse dixit, cessionem domus recessus in Noordwijkerhout dioecesi Harlemensi, approbationem denique operis tam salutaris « de recessibus popularibus » dicti, quo labores nostri externi a. 1917 aucti sunt.

Ob prudentiam et aequitatem summi habitus et simplici quidem, at sincerissima bonitate praeditus omnium corda sibi devinxit, quietem internam et concordiam inter confratres maxime promovit. Sed annis 1916 et 1917 menses integros aegrotus in hospicio Amstelodamensi B. M. V. decubuit, et quamquam operatio chirurgica bene successit, vires tamen sensim tantum redibant. Attamen, cum a. 1918 successoris sui Pl. R. P. Kronenburg admonitor dictus esset, otiosus non erat. Multum in suggestu et in confessionali laboravit, ubi eius consilio haud pauci honestioris conditionis homines utebantur, sed etiam alii, praesertim ii, qui ad vitam devotam aspirabant, quos per solidae pietatis tramites cum obedientia exacta ducebat, ita ut confessarii « severi » nomen acquireret. Inter confratres amoris exemplo praefulsit; in communitate mitissimus, offensiones sedulo vitare satagit, ipse ne verbulo quidem umquam famam cuiusquam laedens.

Capitulo generali appropinquante dubium non erat, quin confratrum fiduciae satisfactorus esset, atque ideo provinciae nostrae alter capitularis Romam missus est. Ex urbe redux die 19 septembris a. 1921 febre correptus est, et qui a. 1916 binam cardiaci operationem periculosissimam feliciter superaverat, levi pulmonum vitio occubuit. S. extrema unctione accepta communitati astanti benedicens haec ultima verba fecit: « Carissimi confratres, servemus vota nostra, et semper felices in congregatione vivemus! ».

Quodsi epitaphium ei ponere velimus, melius excogitare non possumus, quam quod eius olim in novitiatu magister de eo praedicavit: « Bene omnia fecit ».